



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Symbola. Similitudines. Ex Veteri. Novo. Patribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS XXII.

IRA.

§. I.

*Symbola, & Similitudines.**Ex Veteri, & Novo.*

Offerentes coram Domino ignem alienum. Levit. 10. 1. Erat in atrio tabernaculi, putà in altari holocaustorum, ignis sacer è cælo lapsus; quem Deus iusserat foveri; ut eò solò uterentur ad sacrificia, & thymiata. Erat in eodem atrio ignis profanus, & communis; quò utebantur ad coquendas carnes hostiæ pacificæ pro peccato; quibus vescebantur atrio partim Sacerdotes, partim Laici offerentes, hoc usi Nadab & Abiu. Ignis alienus, est quævis cupiditas, quæ ipsi sacro, id est, charitatis est contraria. Charitas enim est ignis è cælo missus, & animæ à Deo inditus; ignis verò alienus, est ira &c. Corn. hic.

Igneæ habena currus. Nahum 2. 3. Ira est: equi, rixa, contumelia. Hugo Card. in Pf. 67.

Festuca in oculo. Matth. 7. 3. ira est: trabs in oculo odium est. Sanct. August. f. 16. de V. D.

Socrus tenebatur magnis febribus. Luc. 4. 38. febris nostra iracundia est. Sanct. Ambr. hic.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Sicut Salvator in terram tulit ignem amoris, ad accendenda corda hominum; sic demon fecit ignem iræ ad destruendam pacem. Stella de cont. Mundi p. 2. c. 51.

Ex Patribus, & aliis.

Ira vehemens ignis est, omnia consumit. S. Chrysof. hom. 25. in Joan.

Homo iracundus, est sicut homo habens domum ligneam; qui manè est dives, & in vespere nihil habet: quia ignis iræ combussit sibi domum, id est, conscientiam. Est similis calculo emittenti ignem; nam sicut calculus percussus emittit scintillam; sic iracundus tactus verbo ostendit impatientiam suam. -- Similis vasi vacuo juxta ignem: videmus enim, quòd, si vas vacuum, & terreum, ponatur ad ignem, frangitur; si autem sit plenum aquâ in nullo læditur. Sic homo, qui est de sua conditione terreus; si ponatur ad ignem adversitatis, vel tribulationis; statim frangitur per impatientiam, si sit gratiâ vacuus. Si autem sit gratiâ plenus, non læditur. Eccl. 27. 6. *vasa figuli probat fornax; & homines justos tentatio tribulationis.* S. Bonav. diat. sal. c. 5. de ira.

Dicitur ira ab *Ur*, quod est ignis, quasi ura; quia urit atque inflammat. S. Bernardinus serm. de exercitiu spir. malignor.

Iracundia inebriat animam, furor verò eam plusquam ebriam facit. Origenes hom. 7. in Levit.

Lenitatem, & mansuetudinem sectare; nè absque vinò ebrius fias, malitiâ, & iracundiâ gravatus. Sanct. Ephrem de vita spir. c. 45.

Si ex animo superbiam exemeris, occasionem innascendi vitium iracundiæ non habebis. S. Greg. Niss. or. 2. de beatitudinib.

Ira est fervor sanguinis, qui circa cor est. Ira est mentis apparitor. Idem de homine l. 4. cap. 13.

Væ nobis à dracone! inmans est bestia, flatu igneò, quidquid attigerit, necat; non modò bestias terræ; sed & volucres cæli. Haud aliud ego draconem hunc, quem Spiritum iracundiæ reor. Sanct. Bernardus f. 13. in Pf. qui habitat.

In Cyrenaica Provincia fons, quem solis vocant, & rupes quædam visitur. Hæc, cum manibus tangitur, ille immodicus assurgit, arenæque quasi mare agens, sic sævit, ut æquor fluctibus. Nieremb. de mirac. naturis Europæ lib. 2. c. 27.

In Dalmatiæ specum dejectò levi pondere, quamvis tranquillò die, inde turbini similis emicat procella. Plinius l. 2. c. 47.

In Helvetiâ, prope Lucernam, mons est præaltus, in summo vertice lacus: in quem de industria injecta maximas tempestates cient; quæ verò casu incidunt, nihil irritant eum. Nieremberg. l. 2. c. 28.

Olla fervens eructat fæces; iracundus diras blasphemias. de Rampelgis. Ira.

Scloperum adductum. Lem: Si tangar, exardescam. Picinelli.

§. II.

*Iram vincendi motiva.**Ex Veteri, Novo, & Patribus.*

Sonuerunt, & turbata sunt aqua. Pfalm. 45. 4. DEUS, qui pacis amator est, cor conturbatum inhabitare non potest. Hugo à S. Victore hic.

Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terra eorum.

Pf. 104. 35. Hoc in Ægypto fecit bruchus: parvum animal, & ab olere vastitatem inchoat. Sed cave: nam qui comedit fœnum, hoc saginatus comedit omnem fructum campi tui. Iracundia, quæ in te ebullit, bruchus est. Initiò contenta est fœnò. Satis est illi, ut hosti non blandiaris, ut eum non invilas, ut singularia ei beneficia non præstes, Peristi Bruchus tuus, qui fœnum comedit, comedit fructus: cogentis de eo malè loqui, de quo nunc tantum bene loque-